

cium antiquissimum. Similiter Præsentationis Officium idem Pontifex abrogavit, propterea quia vetustatem illius non satis liquido comperisset, vel non tantam fortasse, quantum ipse requireret, ac probaret. Sed hac demum probata, diem festum, atque Officium restituit Sixtus Quintus. Quod cum auctor libelli minime posset ignorare, pessima fide dissimulavit. Tertiam causam non est hic opus commemorare. De illa enim satis est dictum in alio loco. Nunc illud exequar, cuius causa narranda ista fuerunt. Si libellator, quod Officia mutata sint, vel fallacem fuisse, vel esse potuisse cultum existimat, nullo negotio refelli potest. Idem enim erat objectum peculiare Ecclesiastici cultus in antiquis Officiis, quod est in recentibus. De Conceptionis Officio testimonium habemus Alexandri VII., quod est a nobis allatum huius initio disputationis. Præsentationis Officium semper habuit in Ecclesia Latina oblationem puellæ Mariæ a parentibus factam. In Græca Purificatio Mariæ dicta est etiam pueri Jesu Præsentatio. Mentitur vero libellator, si quosdam ait Latinos auctores, post institutum Officium Præsentationis Mariæ, eandem confundere cum Præsentatione Christi. Lege Latina Breviaria, vel manu scripta, vel typis edita ante Sixtum Pontificem, in eis que reperies, aliud Præsentationem Mariæ, aliud Purificationem esse: quod nullus auctor Latinus, modo ne stipes esset, potuit ignorare. Quod si vetera Officia perinde ac nova idem cultus objectum habuerunt, ridiculum est in cultus objecto inde fallaciam suspicari, quod Officia mutata sint.

XIV. De Mysterio Assumptionis plura disserit libellator: dubitasse de illo veteres Patres; ideoque in antiquis Martyrologiis non Assumptionis, sed Paufationis, Dormitionis, Depositionis, & Transitus extitisse vocabula: ætate media eam sententiam percerebuisse, quæ Deiparam statuit & post mortem resurrexisset, & in regnum cœleste euestigio sublaram: Franciscum Suarezium eximium doctorem ingenue fateri, *sententiam Assumptionis Virginis in corpore, & anima in cœ- lum*